



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 10. De Inuentione pueri in templo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

*Iob. 7.*  
*1. Tim. 3.* tare debet, totam vitam suam debere esse cōtinuam tentationem, secundū dictum patientissimi Iob. *Tentatio est vita hominis super terram.* Et Apostoli. *Omnes, qui piē viuere volunt in Christo Iesu persecutionem patientur.*

7. Qui opere vel consilio conantur impedire aliquod bonum opus, similes sunt Ægyptijs, qui curarunt occidi omnes infantes populi Israelitici, imò cum Herode persequuntur, Christum vt eum occidant in ipsa natiuitate,  
8. Ioseph ex Ægypto reuersus in terram Israhel, etiamsi sciret Deum esse protectorem pueri Iesu, nec quenquam posse ei nocere, tamen metu Archelai Herodis filij, noluit redire in Iudæam. Vnde discimus homines iustos, quantumuis sanctos, & de sua in virtute cōstantia & salute securos, non debere se obijcere periculis, & Deum tentare, sed debere fugere omnes occasiones, quæ eos in periculum peccati aliamve tentationem conijcere possent.



MEDITATIO X.  
DE INVENTIONE PV-  
ERI IN TEMPLO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Iesus annorum 12. profectus est Ierosolymam: cum parentibus secundum consuetudinem festi.*

Reman-

II. Remansit illic, nesciis parentibus, cum putarent eum esse in comitatu.

III. Post triduum inuentus in templo causam quarenti matri cur re-  
remanserit, respondit: Nesciebatis quod in his qua patris mei sunt oportet me esse? Et descendit cum illis.

FIGVRÆ.

1. **R**uben non inuento puero Ioseph, Gen. 37.  
Totus animo consternatus dixit:  
*Puer non comparet, & ego quo ibo?*

2. Mater Tobiaë videns filium suum Tob. 10.  
statuto die non reuersum, metuensque  
amissum, flebat irremediabilibus lachry-  
mis atque dicebat. *Heu heu me fili mi, lu- Ibid.*  
*men oculorum nostrorum, baculis senectutis*  
*nostra, solatiū vita nostra, & spes posteritatis*  
*nostra, te non debuimus dimittere ire à nobis,*  
*cum autem illa consolari non posset, quotidie*  
*exiliens circumspiciebat, & circuibat vias*  
*omnes, vt procul videret eum, si fieri posset,*  
*uentem.*

PROPHETIÆ.

1. **I**ndica mihi quem diligit anima mea, Cant. 1.  
*ubi pascas, ubi cubes in meridie?*

2. *Quasi inueni eum, & non inueni, vocaui il- Ibid.*  
*lum, & non respondit mihi.*

B 5

3. Sur-

*Cant. 3. 3. Surgam, & circuibō ciuitatem per vi-  
cos & plateas, quaram quem diligit anima  
mea.*

DOCUMENTA.

1. **B** Virgo quotannis cum puero IESV, secundum mandatum Legis ibat Hierosolymam ad celebrandum Pascha, Si Christus legis auctor voluit se subijcere legi, quanto magis nos peccatores & serui, debemus nos humiliare, & omnibus eius legibus subijcere. Vbi id quoque monemur, hominem Christianum diebus festis non debere vacare rebus profanis, ludis, chorais, spectaculis, comestationibus, alijsque mundi vanitatibus, sed frequentare Ecclesias, audire cōciones, diuinis officijs, alijsq; Christianæ pietatis exercitijs interesse.
2. Si Ioseph puerum Iesum tam longo itinere Hierosolymam deduxit ad celebrandum Pascha; non minus studium & curam adhibere debent parentes in educandis suis filijs, assuefaciendo eos ad pietatem & cultum diuinum, ad obseruanda festa, aliaque virtutis & religionis exercitia.
3. Iesus, neque conscijs, neque consentientibus parentibus remansit in templo, hoc facto indicans, filios cum peruenerint ad annos discretionis, attigerintque ætatem à Sacris canonibus decretam, posse sine facultate parētum, vel etiam contra eorum voluntatem ( nisi necessario eorum opera indigeant ) eligere perfectionis statum, & diuino seruitio se dedicare.
4. Si Christus permisit dilectæ matri suæ in tanta afflictione esse, non debemus perturbari.

bari, si Deus aliquando permittat nos aliqua tentatione affligi; id enim non fit, quod nos aut deferat, aut minus diligat, sed potius maioris erga nos amoris signum est, secundum illud. *Quos amo, arguo & castigo.*

*Apoc. 37.*

5. Iesus in medio Doctorum erat audiens & interrogans illos, non causa discendi; nam erat ipsa sapientia, sed ut nos modum discendi doceret; nempe, ut non pudeat nos ab alijs quærere, quæ non intelligimus: nec velimus potius, quod superbi quidam faciunt, hærere in errore, quàm ab alijs doceri. Voluit quoque Dominus hac re exemplum relinquere humilitatis, primò aures præbendo alijs, deinde alios instruere: ut doceret nos magis promptos esse debere ex humilitate ad audiendum, quàm ad docendum. Stultus enim reputatur, qui respondet, antequam audierit.

6. Si sanctissima mater Iesu post adhibitam omnem curam & diligentiam, sine vlla sua culpa destituitur corporali præsentia sui filij, nos qui pleni sumus peccatis, quantam curam & studium adhibere debemus, ne spiritualiter IESVM Dominum nostrum amittamus?

7. Sicut B. Virgo Christum perdidit sine vlla sua culpa; sic solet Dominus nonnunquam se à suis subducere & occultare, non tollendo gratiam, sed suspendendo consolationem, idque ad maius eorum commodum, ut, nimirum in ea quærenda sint ardentiores, & inuentam studiosius custodiant. Vnde quando homo nullum in conscientia remorsum peccati sentiens, nihilominus se experitur aridum & frigidum in pietatis officijs, non est quod perturbetur, vel animum abiciat,

sed exemplo B. Virginis, maior orandi, aliaque bona opera exercendi studio quærat Dominū, & sine dubio, si in eo perstiterit, tandem inueniet.

3. Puer IESVS inter amicos & cognatos quæsitus, non est inuentus, sed in templo Dei, vt indicaretur, inter cognatos & amicos carnem & sanguinem non reperiri, sed potius perdi Christū. Vnde qui volunt adherere DEO, & operā dare suę saluti, non multum debent conuersari cum consanguineis, & amicis, imo debent potius fugere, & ab illis se separare: nā vt dicit Propheta Regius. Deus eius animæ speciem & pulchritudinem concupiscit, quæ  
*Psal. 44. propter ipsum obliuiscitur populum suum  
 & domum patris sui.*

6. Christus hoc locò à matre certo quodam modo reprehensus; benignè & humiliter respondit; sed in nuptijs rogatus à matre vt faceret miraculum, respondit seuerius. Vnde discimus reprehensiones humiliter esse suscipiendas, quicquid autem ad laudem & honorem nostrum pertinet; diuoribus verbis respuendum.



MEDITATIO XI.  
 DE VITA CHRISTI AB  
 ANNO 12. AD 30.

PVNCTA MEDITATIONIS.

*Luc. 2. I. IESV venit cum eis in Nazareth,  
 & erat subditus illis.*

2. Et